



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 55. Gebhardus Decanatu Argentinensi privatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. LV.

Sæcul. XVI.

A. C. 1583.

*Gebhardus Decanatu Argentinenfi
privatus.*

Anno reparatæ salutis millesim o quin- *Thuan. l. 79.*
 gentesimo octogesimo quarto novum
 belli incendium ardere cæpit ob Ar-
 gentinensem Decanatum, quem Geb-
 hardus suo Electoratu, ac Coloniensi
 Archiepiscopatu amotus adhucdum pos-
 sidebat; quippe cum Fridericus Saxo
 Lauenburgicus se ad Electoralem digni-
 tatem haud fuisse promotum indigna-
 retur, Gebhardo dignitate septemvi-
 rali exuto, etiam eum Decani officio,
 quod adhuc in Argentinenfi Metropoli-
 tana Ecclesia obtinebat, spoliare nite-
 batur: hanc obrem Argentinam con-
 tendit, ac Gebhardo subrogari petit,
 obtinetque prævalente plurium Princi-
 pum sollicitatione, quamvis Ernestus
 Mansfeldius, alique Canonici Augu-
 stanæ Confessioni addicti vehementer
 reclamarent: unde hi, cum se pariter
 unacum suo Decano brevi exauctorari
 vererentur, ultionem parare unice in-
 tenti erant, ac Senatus auctoritate freti,
 cum pensiones sibi debitas denegari
 caussarentur, publicas Collegii ædes
 adhibito notario, & testibus adibant,
 ubi iis referatis de frumento in iis re-
 condito, sibi ipsis, quod deberi aiebant,
 solvunt,

Sæcul. XVI.A. C. 1583.

solvunt, ablata annonæ parte, quam
 ibidem repererant: verum Canonici
 Catholicam fidem professi de horum
 temeritate graviter querebantur, hoc
 autem negotio ad Senatum delato res
 ad Joannem Manderscheidum tunc Ar-
 gentinensem Episcopum devolvebatur,
 qui ab initio causæ cognitionem recu-
 sabat: postea vero a convocatis ditionis
 suæ ordinibus petebat, ut partes suas
 interponerent, & delegatos mitterent,
 qui cum suis, & Senatus delegatis de
 ratione dissidii componendi conferrent:
 verum Senatus, ne iudicium appro-
 bare videretur, conditionem recusa-
 bat: insuper Nobilitas in iudicium con-
 sentire, ac delegatos mittere noluit:
 Senatus autem, qui se hoc facto quasi
 in ordinem cogi videbat, mox ad decem
 civitates Imperiales vicinas mittit, &
 Alsatia nobilitatem in urbem vocat,
 concilioque habito de rationibus con-
 sultat, quibus obviam Pontificiorum
 Tyrannidi, ut ajebant, si bellum moli-
 rentur, iri posset. Attamen nemine
 rem efficacius urgente Fridericus Ar-
 gentinensem Decanatum tranquille
 possidere pergebat.

§. LVI.

*Calendarium Gregorianum in Ger-
 mania receptum.*

Quam-